

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputatio Theologica Solennis, Eademque Inauguralis,  
Qva In Articvlo Doctrinae Evangelicae Palmario, Formam  
Iustificationis Circa Aevvm Avg. Conf. Accvrativs Traditam  
Et Illvstratam**

**Friese, Martin**

**Kiliae, [MDCCXXX?]**

**VD18 11891963**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16118**


DISPUTATIO THEOLOGICA SOLENNIS,  
EADEMQUE IN AVGVRALIS,

QVA  
IN ARTICVLO DOCTRINAE EVANGELICAE PALMARIO,  
**FORMAM IVSTIFICATIONIS**  
CIRCA AEVVM AVG. CONF. ACCVRATIVS  
TRADITAM ET ILLVSTRATAM.

ADIVVANTE DEO,  
AVSPICIIS REG. S. CELSITVD.  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI,  
**DN. CAROLI FRIDERICI,**  
HEREDIS NORVAGIAE, SVPREMI DVCIS SLESVICI, DVCIS HOLSATIAE,  
STORMARIAE ET DITHMARSIAE, COMITIS OLDENBVRGI  
ET DELMENHORSTI,  
ACADEMIAE SVAE RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,  
EX DECRETO VENERANDI ORDINIS THEOLOGICI,  
PRAESIDE  
VIRO SVMME REVERENDO ET AMPLISSIMO,  
**MARTINO FRISIO,**  
S. S. THEOLOG. D. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. ORD.  
LONGE MERITISSIMO,  
PRO SVMMIS IN THEOLOGIA HONORIBVS, ET  
PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE  
CAPESSENDIS,  
D. XXIX. IVN. IVBILAEI SECVLARIS, IN ACADEMIA CIMBRORVM  
H. A. MDCCXXX, CELEBRATI, SOLEMNIBVS ADHVC SACRO,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXHIBET  
AVCTOR  
**PHILIPPVS FRIDERICVS HANE,**  
SS. THEOLOG. EXTRAORD. HIST. ECCL. ET CIVIL.  
PROF. PVBL. ORD.

KILIAE, LITTERIS NIC. LÜDERS, ACAD. TYPOGR.





B.I.G.

Farbkarte #13

Cyan

Green

Yellow

Red


Magenta

White

3/Color

Black





## T H E S I S.

**I**ustificatio forma, quae partim in non-imputatione peccatorum, partim in imputatione iustitiae Christi consistit, per actum forenssem siue iudicalem, quo Deus hominem peccatorem, propter Christi meritum fide apprehensum, a peccatis absoluit, iustumque pronunciat, suffragante scriptura et ipsa voce hoc inferente, recte riteque describitur ab Ecclesia *γνησίως* Evangelica: accuratiorem autem hunc *παιδείας* λόγον coepisse mox cum exhibita Aug. Confessione, e critica historiae eiusdem consideratione liquidissime ostendi potest.

### E X E G E S I S.

#### *Synopsis.*

- |  |   |
|--|---|
| <p>§. I. Suffragium ē Scriptura et usu vocis petiitum breuissimis illustratur.</p> <p>§. II. Varius de forma iustificationis tradendi modus indicatur.</p> <p>§. III. Animaduersiones de Patrum in hoc capite doctrinae peculiare praemittuntur.</p> <p>§. IV. Ipsa Patrum testimonia e prioribus IV. post C. N. Seculis proferuntur.</p> <p>§. V. Quo loco Patrum locutiones minus purae et accuratae; itemque haereticorum in hac doctrina deprauationes habendae?</p> | <p>§. VI. Doctorum sequiorum et imprimis scholasticorum docendi ratio per indicem digitum adducitur.</p> <p>§. VII. Status doctrinae huius in primo reformationis momento, et Lutheri prima pro eadem restituenda tentamina.</p> <p>§. VIII. Seruata ab eodem porro in tradendo huius doctrinae capite methodus.</p> <p>§. IX. Ac quomodo in eodem se gesserit Melanchthon, ante aecum A. C. exhibitae.</p> |
|--|---|

(A) 2

§. X.

§. X. Ad formam iustificationis explicatius reddendam et ipsa A. C. formula, et quae ad eam allata sunt praesidia, fundamentum iaciunt.

§. XI. Quam porro doctrinae methodum in Apologia, ac scriptis aliis hoc

circa acuum vulgatis, Melancthon nondum mutatus perficit et confirmat.

§. XII. Atque hoc facto uniuersalem mox nostratum plausum, et calculum meruit, quem in hoc capite etiamnum tuetur.

§. I.



Rectem et acropolin totius causae Euangelicae esse doctrinam de Iustificatione rite expositam atque defensam, diu existimarunt Doctores Ecclesiae nostratis, proindeque in firmanda communiendaque eadem ita versati sunt, vt nouis eidem parandis praesidiis iam nunc quidem haut opus sit. Nobisque igitur dum h. I. ipsa iustificationis duntaxat forma spectetur, eamque per actum forensem s. iudicalem rectissime describi contendatur, neque id adeo incumbit, vt commune illud S. Scripturae suffragium, constantemque huius vocis vsum, vtrumque in thesi quidem excitatum, prolixius hic denuo proferamus, postquam id cumulatissime vbique a nostratibus in systematibus et disputationibus suis factum est. Ac de vfu vocis iustificandi scripturario, cum in profanis classicisque latinitatis auctoribus ipsam hanc vocem adhibitam frustra quaesueris, id firmiter tenent tuenturque nostrates, siue in fonte hebraeo  $\text{הִפְחִיל}$  in forma Hiphil, siue in Graeco illud  $\text{δικαιῶν}$  s.  $\text{δικαιῶνται}$  occurrat, forensem acceptionem omnino admittendam esse; cui illorum sententiae tota integraque mente subscribimus. Sicuti igitur in constantissimo vocis vfu non parum praesidii nostra de iustificationis ratione formali doctrina inuenit, ita suffragium illud, quod diuina sacrarum literarum effata in potioribus huius doctrinae sedibus ferunt, quando formalem iustificationis actum neutiquam in physica iustitiae infusione, sed

in

in gratiosa eiusdem imputatione, quod more modoque omnino forensi s. iudiciali fit, vbiq̄ue ponunt, hanc causam firmat corroboratque, vt nullum amplius vel nobis dubitandi vel aduersariis cauillandi locum relinquat. Est vbi doctrinae huius nostrae rationem e S. Scripturae fontibus cumulatisime reddunt ipsi LL. Symbolici, vid. *Aug. Conf. Artic. IV. de Iustificat. et Apolog. eod. Artic. addaturque Epitome F. C. Loco III. de Iustit. fidei et Solid. Declar. h. l. E* quibus et prolixis Doctorum nostrorum vindiciis, licet obuia vbiq̄ue in V. et N. foederis tabulis Spiritus S. testimonia non iam repetamus, nonnulla tamen pro aliquali huius causae declaratione obseruare licebit. In principali domesticoque huius doctrinae suffragio, quod D. Paulus in Epist. ad Rom. perhibet, formalem iustificationis actum per vocem λογίζεσθαι, vno eodemque Cap. IV. vndecies describi legimus, quod sane iustitiae infusionem quandam, nisi vim voci inferre velimus, neutiquam designat, illud tamen omne, quod per imputationem, acceptationemque peragitur, quomodo a nobis hic actus iudicialis concipitur, quam exactissime et per natiuam phraeos acceptionem exprimit; vnde Iac. *Reibingium*, non multo ante Pontificium acerrimum, cum post Retractationem manualis sui catholici pararet, non adeo miramur, de hac causa ex hoc Capite IV. ad Rom. veritatis conuictum esse, adeo vt D. Paulum eodem hoc Cap. nouies de iustificatione, quae per imputationem iustitiae Christi peragatur, testimonium perhibere agnouerit. Atque Casp. *Contarenium*, Franc. *Toletum*, Cornel. *a Lapide*, celebriores itidem Pontificiae partis Doctores, victas quoque huic veritati dedisse manus, ex suis in Epist. ad Rom. commentariis intelligimus, locaque ex his et aliis post b. Io. *Gerhardum* nostrum in *Conf. Cathol. Lib. II. P. III. Artic. XXIII. Cap. IV. p. m. 709. sqq.* produxit Wilh. *Ameſius* in Bellarmino eneruato P. IV. Quid, quod nec ipsum Papalis Ecclesiae Symbolum, Concilium Tridentinum, hoc scripturarum testimonium prorsus euertere, sed Sess. VI. Ca-

siſtas

(A) 3

non.



non. XI. non omnem quidem, sed solam duntaxat imputationem iustitiae Christi infringere sustineat? Insigniter igitur impudentes, et ad clarum solem coequentes oportet esse Pontificios alios, qui cum Rob. Bellarmino, promacho suo, sibimet ipsi tamen mox contradicente Lib. II. de Iustif. Cap. VII. edit. m. in 8. Tom. VIII. p. 2257. sibi persuadere possunt: *In scripturis et Patribus hactenus nullum omnino locum inuenire potuisse, (sc. nostrates) ubi legeretur, Christi iustitiam nobis imputari ad iustitiam; vel nos iustos esse, per Christi iustitiam nobis imputatam.* Hoc enim si fuisset, cur illi opus erat, vt mox ibidem Cap. IX. Argumenta ex Epist. ad Romanos, Cap. X. ex Epistolis ad Corinthios. Cap. XI. ex Epist. ad Ephesios. Cap. XII. ex Act. Apost. et parabola publicani. Cap. XIII. ex Patribus desumpta, et pro causa nostra pugnancia, tam prolixè sibi confutanda fumeret? Ipsum sane doctorem se redarguere et sibi in os contradicere intelliges.

§. II.

Quod in prima positionis parte licuit, vt de ratione formali iustificationis recte a nostratibus in actu iudiciali siue forensi posita, demonstratione quadam prolixiori et omnibus suis praesidiis suffulta supersederemus, id in altero quaestionis nostrae capite opera ac studio paulo curatiori supplebimus, vbi quod de isthoc *ῥόπον πειδείας* asseruimus, coepisse namque illum mox cum A. C. exhibita, probatione quadam euidente et paulo operosiori egere omnino nobis existimatur, quod eam ab alio quoquam vllibi allatam esse haut sciamus. Ita ergo vt labore hoc rite defungamur, distinctis id articulis suscipiemus demonstrandum, *primum*, quod nec primae ac antiquioris Ecclesiae doctores suam de formali iustificationis modo sententiam sic satis clare ac perspicue verbis extulerint, vt hunc *παιδείας ῥόπον* tenuisse illos, ex eo tuto satis colligi possit; *porro*, quod ipsi Doctores nostrates, qui primi sacrorum emendationem susceperunt, prioribus illis ante C. A. exhibitam

annis

annis non vbiq̄ue mentem, in hac causa omnino etiam rectiorem, ita prolocuti sint suam, vt verbis quoque curatiorem hanc docendi rationem sic satis clare ac perspicue reddiderint: ac *denique*, quod demum in illo temporis articulo, quod A. C. exhibitionem insectum est, manifestiora primum dentur vestigia, e quibus appareat, quando exquisitior haec doctrinae methodus praecise coeperit, atque velut vniuersalem mox ex parte nostratium plausum et approbationem retulerit, in quo postremo eoque potiori demonstrationis nostrae capite, criticae A. C. historiae vsus vel praecipue se exferet.

§. III.

Primum visuri Patrum et antiquioris Ecclesiae Doctorum doctrinam de iustificationis ratione formali, monendum id habemus adhuc in genere, non fuisse opus istis doctoribus, vt curatiorem quandam methodum, formulasque loquendi cautius, vt in aliis quibusdam fidei capitibus aduersariorum nonnunquam cauillationes exigebant, circa hanc etiam doctrinam demum inueherent, sed illis id tantummodo relictum fuisse, vt formam sanorum verborum, a Spiritu S. in diuinis literis sibi traditam, rite seruarent, et pro hoc deposito custodiendo, posterisque relinquendo curam gererent. In eo namque, quod infinita et ad vnum omnia SS. testimonia, praesertim in praecipuis doctrinae sedibus iustificationem hominis peccatoris per actum forensem siue iudicialem describant, quod modo supra per indicem digitum monuimus, hasce potissimum Patrum atque Doctorum sequiorum fuisse partes, quemlibet nobiscum agnoscere facile confidimus. Sed et illud proinde tenendum erit, non licere Patrum ac Doctorum reliquorum in hac causa mentem ex iis locis interpretari satis curate, in quibus ipsis Scripturae verbis loquuntur, sed ad ipsorum propria duntaxat huius doctrinae interpretamenta esse respiciendum, vbi namque vel explicationes oraculorum diuinorum vberiores afferunt, vel dogma-

ta



ta fidei non ipsa scripturae phrasi, sed alia quadam, quam ipsi aequipollentem putabant, ex instituto proponunt, ac contra aduersariorum impetus defendunt. His cautionibus praemisissis, si iam ad praecipua attendamus de hac doctrina Patrum loca, quorum largissimam segetem tum apud Nostrates, b. Mart. *Chemnitium* in Exam. Concil. Trid. P. I. de Iustif. p. 141. sqq. Io. *Gerhardum* in Conf. cathol. Artic. XXIII. de Iustif. Cap. IV. p. m. Tom. III. p. 687. sqq. ac fere distinctius in LL. Theol. Artic. de Iustif. per fidem. Cap. I. §. 8. p. 669. sq. et Cap. V. §. 213. p. 1059. sqq. edit. in 4. add. etiam Io. *Georg. Dorscheum* in Thom. Aquinat. Conf. verit. Euang. Sect. VIII. Cap. IV. Distinct. II. p. 499. sqq. tum ex Aduersariis apud ipsum *Belarminum* l. c. Cap. XIII. p. m. 2285. sqq. aliosque reperire licet, haec sane in iis omnibus, et pluribus, quae facile adhuc addi possent, in genere primum animaduertere in proclui est: 1.) Haut sane a verae iustificationis doctrinae puritate et integritate defecisse Patres Doctoresque Ecclesiae; inque ea re, 2) qui Christi et Apostolorum aevo fuere propiores, eum in hac causa tenuisse modum, vt clarissimae SS. literae, rationem iustificationis forensam luculenter admodum efferenti, prescius arctiusque inhaerent: hinc 3) id illis perquam solenne esse, vt in doctrina iustificationis asserenda tuendaque vtantur dictione phrasique scripturaria, quae hunc ipsum actum per imputationem meriti et iustitiae Christi, remissionem peccatorum propter mortem Christi, et quae his sunt gemina, describit; quin et si 4.) biblicas nonnunquam locutiones deserant, suisque tum verbis ac phrasibus eandem hanc causam efferant, non omnino infeliciter Doctorum partes eosdem explere, in designandis causis reliquis, quae in iustificationis negotium influant, dum causam efficientem principalem ac impulsiuam allegent gratiam Dei vniuersalem, voluntatemque eius ac misericordiam gratiosam, causam porro meritoriam, Christi passionem, mortem, iustitiam ac meritum pro peccatoribus praestitum, causam instrumentalem

ex

ex parte hominis, fidem in Christum eamque solam, idque et ita nonnunquam diserte cum exclusione meriti operum, vt Pontificiis nunquam huiusmodi Patrum auctoritates elidere integrum fuerit: Sed vero si 5.) formam ipsam, ab iis suo orationis stylo redditam dispiciamus, non licere hic rem aliter reperire, quam quod voce Scripturae eam efferant, in expositione autem vberiori vel prorsus eam praetermittant; atque dum 6.) vel maxime actum hic intercedere forensis, iustificationisque rationem formalem per absolutorii iudicii diuini modum absolui insinuare, pleniusque describere debuissent, veremur omnino, vt in infinitis Patrum locis, quorum et bonam partem sane peruestigauimus, huius duntaxat causae clariorem factam mentionem vllibi deprehendere liceat. Haec sunt, quae paulo distinctius de Patrum in hoc capite doctrina animaduertere fas erit. Pronunciatum alias paulo rotundius est *Centuriat. Magdeb.* qui de Seculo II. Cent. II. Cap. IV. ita scribunt: *Doctrina de iustificatione negligentius et obscurius ab his doctoribus tradita est; Quamuis enim meritum Christi satis magnifice commendent, tamen de reliquis partibus non instituunt integras et perspicuas explicationes, nec interdum satis sibi constant.* etc. quae sane iuxta declarationem nostram erunt accipienda.

## §. IV.

Sed ne gratis, quod hucusque in genere disputauimus, dixisse videamur, ipsa quorundam Patrum loca, eaque, quae creduntur in hanc causam illustriora, nam omnia afferre, nec huius loci nec temporis erit, et apud Auctores citatos euoluere plura cuiuslibet integrum fuerit, in medium producemus. Huiusmodi autem iure credentur ea, atque in rem praesentem vel imprimis facientia, quae recentissimus nec adhucdum, quod scimus, editus scriptor, Sam. CORYLI, pro adornanda septuplici harmonia Patrum, sc. Clementis R. Cypriani, Athanasii, Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosii et Augustini cum Aug. Conf. articulis omnibus collegit, cuiusque,

(B)

quod



quod ad Artic. IV. de Iustificat. spectat, specimen e MStis schedis suppeditatum est ab *Auctoribus der fortgesetzten Sammlung von Alten und Neuen &c.* ad a. 1728. p. 138. sqq. quibus vestigiis insistentes, integra tamen Patrum loca hic e fontibus exhibemus. I. CLEMENS Romanus, in Epist. ad Corinth. §. 32. ita scribit: Πάντες ἔνδοξάθησαν καὶ ἐμεγαλύνθησαν, ἔδ' αὐτῶν, ἢ τῶν ἔργων αὐτῶν, ἢ τῆς δικαιοπραγίας, ἧς κατειργάσαντο, ἀλλὰ διὰ τὸ θελήματος αὐτῶν. Καὶ ἡμεῖς ἔνδοξάθημεν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, ἔδ' αὐτῶν δικαιοπραγίας, ἔδ' αὐτῶν τῆς ὑμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων, ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας· ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τῆς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσεν· ὧ ἔσω δόξα εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰῶνων· ἀμήν. *Omnes igitur (loquitur de Abrahami posteris) glorificati et magnificati sunt, non per seipsos, vel per opera sua, quas partrarunt, sed per voluntatem eius: Sic et nos ex voluntate eius in Christo Iesu vocati, non per nos ipsos iustificamur, neque per sapientiam nostram, intelligentiam, pietatem vel opera, quae in puritate cordis et sanctimonia operati sumus; sed per fidem, per quam omnipotens Deus omnes ab initio iustificavit. Cui sit gloria in secula seculorum, amen.* p. 164. edit. Cotelerii in Patrib. Apostolicis, cura Io. Clerici Antw. 1698. recufis, it. in edit. Concil. recent. Nic. Coleti Venet. 1728. Tom. I. p. 143. vbi adde, quae pro vindicando Clemente ad h. l. disputat b. Thom. Ittigius in Select. Cap. H. E. Sec. I. p. 197. sqq.

II. CYPRIANVS, venerandus Ecclesiae Africanae Sec. III. praesul et Christi martyr in Epist. III. ad Coecilium: *Si Abraham Deo credidit et deputatum est ei ad iustitiam: utique quisquis Deo credit, et fide vivit, iustus inuenietur, et iam pridem in Abraham fideli benedictus et iustificatus ostenditur, sicut b. Paulus Apostolus probat, dicens: Abraham credidit Deo, et deputatum est ei ad iustitiam.* p. 52. edit. Froben.

III. ATHANASIVS a Corylo l. c. testis producitur, locusque advocatur e Symbolo vulgo ipsi attributo, quod licet auctorem ipsum Athanasium haut agnoscat, genuinus tamen eius doctrinae inter-

interpres sit, verba huius latino tantummodo idiomate afferre iu-  
uat, quoniam et occidentalis Ecclesia in eo retinendo constantior  
fuit; ita autem ibidem habetur: *Est autem fides recta, ut credamus  
et confiteamur, quod Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, Deus et  
homo --- passus est pro nostra salute* (i. e. iustificatione, per quam  
participes salutis reddimur) vid. Symbolum in *LL. Symb. nostris*,  
et aliquot Graecorum formulas lege apud *Coletum* Tom. II. Concil.  
p. 625. sqq. et plures excitantem *Io. Alb. Fabricium* in *Biblioth.*  
*Graec. Vol. V. 314. sq.* Sed et alia quaedam loca ipsius huius Doctoris  
*ὀρθοδοξωτάτης*, hanc symboli doctrinam asserentis vid. ap. *Io. Gerhard.*  
in *LL. Theol. T. III. p. 1060. edit. in 4.* IV. CHRYSOSTOMVS  
l. c. in testimonium aduocatur, cuius quidem locum excitatum in  
*Comment. ad Rom. III. inuenire* haut licuit; dantur vero plura  
apud eundem huic gemina, e quibus adferimus quod *ibid. ad Rom.*  
*III. v. 27. de lege operum et fidei* scribit Chrysostomus: *Εἰπὼν δὲ  
ὅτι ἐξεκλείθη. δείκνυσι καὶ πῶς. Πῶς ἂν ἐξεκλείθη φησί. διὰ  
ποῖς νόμος; τῶν ἔργων; ἔχι. ἀλλὰ διὰ νόμον πίστεως. ἴδῃ καὶ τὴν  
πίσιν νόμον ἐκάλεισεν, ἐμφιλοχωρῶν τοῖς ὀνόμασιν, ὥστε παραμυθεῖ-  
σθαι τὴν δοκῆσαν εἶναι καινοτομίαν. Τίς δὲ ὁ τῆς πίστεως νόμος;  
διὰ χάριτος σώζεσθαι. ἐνταῦθα τὸ δυνατόν δείκνυσι τῷ Θεῷ, ὅτι ἔ-  
μόνον ἔσωσεν, ἀλλὰ καὶ ἐδικαίωσε καὶ εἰς καύχησιν ἤγαγε, καὶ ἐδὲ ἔργων  
δεηθεῖς, ἀλλὰ πίσιν ζηθήσας μόνον. i. e. Dum enim exclusam dixit,  
(sc. gloriationem iustitiae) ostendit et quo pacto. qui igitur exclusa est?  
per quam legem? operum? hautquaquam: sed per legem fidei, ecce et  
fidem quoque legem vocauit, libenter in ipsis verbis perseverans, ut  
nouitatem, quae esse quidem putabatur, leniat. quae porro fidei lex est?  
per gratiam seruari hoc loco Dei potentiam ostendit, quod videlicet non  
seruarit solum, sed et iustificauerit, et in gloriationem duxerit, ope-  
rum quidem nihil indigens, sed fidem tantum exigens. ex edit. *Com-  
melin. 1596. p. 64.* V. HIERONYMVS *Comment. ad Rom. III. ad  
effatum Pauli: Arbitramur hominem iustificari per fidem sine operibus  
legis. Sic tandem concludit: hic autem de illo dicit, qui ad Christum**

(B) 2

ueniens



veniens, sola, cum primum venit, fide saluatur. p. 168. Tom. VIII. Opp. Edit. Paris. 1643. VI. AMBROSIVS in 1. Cor. I. ad verba Pauli: *Super gratia Dei quae data est vobis in Christo Iesu, ita commentatur: Datam dicit gratiam a Deo in Christo Iesu, quae gratia sic data est in Christo Iesu, quia hoc constitutum est a Deo, ut qui credit in Christum, saluus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorum.* ex edit Opp. Paris. 1549. p. 1880. VII. AVGVSTINVS in Ps. LXXXVIII. Conc. II. *Ex fide vivimus, et de fide dictum est, fide mundans corda eorum: Et quia sola fides in Christum mundat, non credentes soluti ab emundatione.* Tom. VIII. opp. ex edit Froben. Basil. 1569. p. 987. Septenario huic à laudato CORYLI producto numero, superpondii loco adhuc egregium par Graecae Ecclesiae Doctorum addimus, quorum in hanc causam testimonia et omnino hic locum suum merentur; alter horum BASILIVS M. in Homil. XXII. περί ταπεινοφροσύνης ita rationes colligit: Ἄυτη γὰρ ἡ τέλεια καὶ ὀλόκληρη καύχησις ἐν Θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ δικαιοσύνη τις ἐπαίρεται τῆ ἐαυτοῦ, ἀλλ' ἔγνω μὲν ἐνδεῆ οὖσα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθῆς, πίσει δὲ μόνῃ τῇ εἰς Χριστὸν δεδικαιωμένον. *Nam ea demum perfecta et omnimoda gloriatio est in Deo, quando neque propter suam ipsius quis iustitiam extollitur, sed agnoscit, se quidem vera destitui iustitia, verum, sola in Christum fide iustificatum esse.* Tom. I. Opp. p. 473. Alter autem GREGORIVS Nazianzenus Orat. XXII. in Maccabaeos p. 398. ex edit. Opp. à F. Morel. Paris. 1609. Μηδένα τῶν πρὸ τῆς χριστοῦ παρσσίας τελειοθέντων, δίχα τῆς εἰς χριστὸν πίσεως τῆς τυχῆν. id quod ita reddas: *Neminem eorum, qui ante Christi adventum statum perfectionis attigerunt (h. e. salutis participes evaserunt) id citra fidem in Christum esse consecutum.*

## §. V.

Huc vsque Patrum sententiam de iustificatione, quemadmodum eandem in limpидissimis eorum fontibus reperire licuit, exhibuimus. Putamus quemlibet causae gnarum deprehendere in eadem,

dem,

dem, quae supra generatim monuimus, vt non opus sit haec de-  
 nuo quoad singula ostendere. In nostrae causae capite formalem  
 iustificationis rationem, licet nonnisi veram et genuinam tenuisse  
 Patres, è causarum reliquarum expositione recta et curatori collige-  
 gere fas sit, haut tamen in eadem tam claris disertisque verbis red-  
 denda eosdem versatos esse, quin et de actu forensi hic inferendo,  
 parum illos fuisse memores, vel absque nostro iudicio, quemlibet  
 intelligere confidimus. Quodsi iam et alia Patrum loca circumspi-  
 cere velimus, in quibus ab ista puritate pro sorte sua nonnunquam  
 recesserunt, plura sane quoque dabuntur indicia, eos humani quid  
 esse passos. Ac est omnino, vbi BELLARMINO prolixum satis  
 catalogum nectere licuit de sententiis Patrum, ac potissimum Au-  
 gustini, de iustitia inhaerente, *Lib. II. de Iustificat. Cap. VIII. p. m.*  
*2264. sqq.* de quo et b. Mart. CHEMNITIVM nostratem sibi con-  
 sentientem adducit, *P. I. Exam. Concil. Trid.* scribentem: *Non mo-  
 vemus litem, quomodo iustificationem accipiant Patres.* et ibidem:  
*Non ignoro, aliter loqui Patres, sed de proprietate linguarum quaestio  
 est.* Atque Io. CALVINVM etiam Augustinum, sibi ex Patribus  
 alioquin percharum, hac in quaestione repudiare commemorat,  
*Lib. III. Institut. Christ. Cap. II. §. 15.* his vtentem verbis: *Ac ne Au-  
 gustini quidem sententia recipienda est, qui gratiam ad sanctificatio-  
 nem refert, quia in vitae neuitatem per Spiritum regeneramur.* Sed  
 quo minus his Patrum lapsibus vtamur pro instituto hic nostro, at-  
 que ex iis confirmemus, quod suscepimus probandum, istos ἰσότρον  
 παιδείας non satis vbique accuratum ad hanc doctrinam attulisse,  
 hoc quidem minus nobis opus esse existimamus, quod nec in pu-  
 rioribus eorundem enunciatis hanc in iis desideratam accurationem  
 omnino inuenire datum fuit. Geminam potius in hac parte cum  
 magno CHEMNITIO nostro seruamus mentem, qui in eadem hac  
 causa ita verba facit: *Extant valde multa improprie, incommode et  
 incircumspecte de hoc articulo dicta in omnibus scriptoribus; ut facile*

posset texti longus catalogus. Sed non quaerimus hoc, sicut Cham, ut ignominia Patrum reueletur. Ideo lapsus illorum non exagitamus, quorum laboribus adiuuamur, ut quorum canitiam reuereri debemus; sed has commonefactiones eo referimus, ut exemplis illis admoniti eo simus et cautiores et diligentiores, in conseruanda doctrinae puritate, ne quacunque etiam occasione eius inclinationem faciamus. in LL. Theolog. P. II. loc. de Iustif. Cap. I. de incommodis dictis Patrum p. 224. b. Probamus etiam illam b. Chemnitii operam, quam eodem loco in huiusmodi Patrum dictis explicandis, emolliendis et ad rectiorem eorundem alibi sententiam exigendis posuit; quo sane labore multum praesidii, quod in huiusmodi locis ab aduersariis quaeri solet, creptum est; atque idem in Augustino, de cuius assensu tantopere gloriatur Bellarminus, nostrae integraeque doctrinae vindicando, egregie atque ex instituto praestitit Ant. REISERVS in *Augustino veritatis Euangelico-catholicae teste ac confessore* pag. 1124. sqq. Quin et ipso iam reformationis aeuo hunc Patrum testimonia quoad hanc doctrinam in melius interpretandi morem ingressum esse, ac aduersariis exinde cornua obuertisse menimimus, illustrem et Principalem fastigii scriptorem, GEORGIVM, Principem Anhaltinum, in Diss. quae in Opp. iunctim excusis habetur p. 462. sqq. de quo et tradit Vit. Lud. SECKENDORFFIVS in Comment. de Lutheranism, Lib. III. §. CXVII. Add. 1. p. 509. edit. lat. Ut denique ex haereticorum etiam atque veritatis hostium erroribus, quorum et ista Patrum aetate, ut omni tempore, ferax funestusque prouentus fuit, vestigia corruptionis et deprauationis doctrinae de iustificatione eiusque formali ratione, hoc loco commonstremus, ali-quod ad summam rei nostrae momentum trahere posset; duplex sane ex huiusmodi certaminibus verae puraeque doctrinae immi-nere periculum; ex altera quidem parte, ut qui veritati ex sua vel proaeresi vel imbecillitate nuncium remiserunt, nunquam fere non sibi errarint soli, sed et multos ac maiorem subinde incautio-  
rum

rum partem in erroris sui consortium pertrahant; ex altera autem parte, vt, qui veritatis tuendae causam suscipiunt, et ipsi nonnunquam, disputationis feruore abrepti, in contrarium currant, atque hinc vtrinque veritas naufragium patiatur: quod vt exemplorum huius generis fere non omnium inductione comprobare in procliui esset, ita et in aberratione a recto tramite circa doctrinam de iustificatione id vsu venisse probatu haut difficile fuit, quando id tentarunt tum ex antiquioribus nostris b. Mart. CHEMNITIVS in *LL. Theol.* p. 221. sqq. tum è recentioribus b. Io. Franc. BVDDEVS in *Institut. Theol. Dogm. L. IV. Cap. IV.* §. 16. p. 1044. sqq. Sed, dum curatiorem doctrinae hic peruestigatae methodum, nec in purioribus reperire fontibus licuit, vt hosce maeandros quaeramus nulla iam nos cogit necessitas; aduersarios potius in hac causa nostros aduertere animum ad impuros hos latices iubemus, vt e qua scaturigine putida sua dogmata hauserint, rectius aliquando intelligant.

§. VI.

Antequam ad *alterum*, quod nostrae demonstrationis caput erit, progrediamur, et locus hic foret, inquirendi in sequiorum temporum docendi rationem, deque Doctoribus, qui a seculo V. scriptis ac doctriua sua in ciuitate Christiana fuere celebriores, et id ipsum comprobandi, quomodo in puriori iustificationis doctrina retinenda, explicandaque se gesserint. Sed praeterquam, quod labor ad hanc causam afferendus, praefixos instituto nostro limites omnino egrederetur, et in illis quidem nobis ab his doctoribus relictis monumentis accuratorem istam, ad formam iustificationis rite efferendam, eo minus nos deprehensuros esse, rerum quilibet gnarus facile colliget, qui in IV. priorum seculorum Patribus eandem frustra a nobis quaesitam esse considerauerit. Cui nosse ac inspexisse quaedam huius doctrinae ex aeuo isthoc sequiori specimina volupe est, ad farraginem eorum haut contemnendam ablegamus, quam b. Io. GERHARD. in *Conf. Cathol. it. LL. Theol.* II. cc. alique supra



supra excitati exhibuerunt. De doctoribus illis spinosis, Scholasticos puta, qui a reformationis aevo propius abfuerunt, deque eorum coryphaeo, Petr. LOMBARDO, quod scribit b. LVTHERVS in Lib. de Concil. et Eccl. Tom. VII. Opp. Ien. germ. p. 232. in praecipuis illis articulis de fide et iustificatione nimis ipsum esse ieiunum; et quod de omnibus fere in genere contendit CHEMNITIVS in Exam. Conc. Trid. p. 128. dum scribit: *Scholastici nimium crasse philosophantur, de homine faciente quod in se est, de merito congrui, de gratia gratum faciente, de merito condigni. Et de iustificatione sine scriptura non aliter disputant, ac si in Aristotelis schola de physicis motibus philosopharentur*: De eo sane reum habemus confitentem, Albert. PIGHIVM, ipsum Doctorem Pontificium, et ex aduersariis Lutheri alioquin haut postremum, cuius in hanc causam testimonium Controv. II. de fide et iustific. p. 47. ita habet: *Dissimulare non possumus hanc vel primam doctrinae Christianae partem (de iustificatione) obscuratam magis quam illustratam a Scholasticis, spinosis plerisque quaestionibus, secundum quas nonnulli magno supercilio primam in omnibus auctoritatem sibi arrogantes, et de omnibus facile pronunciantes, fortassis etiam nostram hanc damnarent sententiam, qua propriam, et quae ex suis operibus esset coram Deo, iustitiam derogamus omnibus Adae filiis, et docuimus una Dei in Christo nos niti posse iustitia, una illa iustos coram Deo, destitutos propria, nisi hoc ipsum astruxissemus aliquanto diligentius*. Hucusque Pighius; cuius pro veritate nostrae causae in hoc ipso loco latum testimonium, licet vel omnino eripere, vel minimum deprimere nitatur BELLARMINVS, Lib. I. de Iustificat. Cap. I. p. 2225. id tamen, quod pro nostro instituto de Scholasticorum nec vera satis, nec etiam accurata doctrinam iustificationis tradendi ratione, Pighio fatente, probandum summus, nullo, nec leuissimo etiam dubitationis indicio vel a Bellarmino, vel alio quoquam infringi vel labefactari legimus, vt adeo quod de iisdem pronunciarunt nostri, Lutherus atque Chemnitius, firmo satis talo stare ab ipsis permittatur.

S. VII.



§. VII.

Sed haec, quae de Scholasticorum doctorum ratione docendi spinosa atque impedita hucusque vidimus, aliquo simul etiam modo statum illum doctrinae nobis pandunt, in quo iustificationis invenerunt formam positam, qui cum reliquo sacrorum repurgandorum negotio, et hanc iusto suo loco, ac genuinae Apostolicaeque integritati sibi samserunt restituendam. Quod hoc non vno eodemque temporis momento, nec quoad omnes suas partes in primo Lutheri et sociorum sibi iunctorum conflictu sit praestitum, id fortissimis his pro veritate athletis non adeo fraudi esse debet, cum qui sapientiae diuinae modus est, ut lux veritatis, cognitionisque coelestis per partes duntaxat illucescat, et hisce Evangelicae doctrinae restauratoribus obtigisse agnoscendus sit. Atque sic etiam ac non aliter mentem nostram capi volumus, quando h. l. methodum doctrinae primorum confessorum nostrorum, in capite de genuina iustificationis forma, haut per omnia accuratam aut numeris suis absolutam defendere sustinemus; sed quod prioribus illis ante Conf. Aug. exhibitam annis, mentem, quam in hac causa quidem tenuerint rectiorem, verbis tamen non sic satis claris atque perspicuis extulerint. Quod quidem ut iam demonstremus, testes interpretesque huius illorum doctrinae aduocare haut licet meliores, ac magis fidos, quam relicta nobis ab ipso LVTHERO ac suo parastata, MELANCHTHONE, in scriptis suis monumenta; his namque primas uti in toto negotio, ita & in repurgata iustificationis doctrina iure referimus. Iam ante coeptam, quam habere solemus, reformandi telam, corrupta a scholasticis doctoribus doctrina de iustificatione sollicitum habuit LVTHERVUM, idque loquitur in Epist. Fr. Georg. Spenlein, Augustin. Erem. in conuentu Memming. Witteb. fer. 3. post Misericord. Dom. A. 1516. data; cuius huc facientia verba hic adscribimus: *Caeterum quid agat anima tua scire cupio, utrum ne tandem suam pertaesa propriam iustitiam discat in iustitia Christi respirare atque confidere. Feruet enim*

(C)

no-



nostra aetate tentatio praesumptionis in multis, et iis praecipue, qui iusti et boni esse omnibus viribus student, ignorantes iustitiam Dei, quae in Christo est nobis effusissime et gratis donata, quaerunt in seipsis tam diu operari bene, donec habeant fiduciam standi coram Deo, veluti virtutibus et meritis ornat, quod est impossibile fieri. Fuiſti tu apud nos in hac opinioni imo errore, fui et ego: sed et nunc quoque pugno contra istum errorem, sed nondum expugnaui. u. 7. l. apud Aurifabr. Tom. I. Epist. p. 11. it. apud V. E. Loescher. in Act. et Docum. Reformat. plenior. Tom. I. Cap. XXXVII. p. 806. In thesibus contra indulgentias, siue vt in protographo, cuius exemplum aliquod ad manus est, titulus habet: *Disputatio D. Martini Luther, Theologi, pro declaratione virtutis indulgentiarum*, quibus aperte primum noster ille Theander d. XXXI. Oct. 1517. contra papatum insultum fecit, omnino attigisse inuictum hunc herœa huius doctrinae capita, et papales circa eam aberrationes et corruptelas impugnasse et destruxisse nouimus, sed audiemus quibus verbis? Thef. XXXII. (II. VII.) ita praecipit: *Damnabuntur in aeternum cum suis Magistris, qui per literas veniarum securos sese credunt de sua salute.* Thef. XXXIII. (II. VIII.) *Cauendi sunt nimis, qui dicunt venias illas Papae donum esse illud Dei inaeſtimabile, quo reconciliatur homo Deo.* Thef. XXXVI. (II. XI.) *Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a poena et culpa, etiam a literis veniarum, sibi debitam.* Thef. LVIII. (III. VIII.) *Nec sunt merita Christi et Sanctorum (sc. thesaurus indulgentiarum) quia haec semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris, et crucem, mortem, infernumque exterioris.* Thef. LX. (III. X.) *Sine temeritate dicimus, clauis Ecclesiae (merito Christi donatas) esse thesaurum Ecclesiae.* Thef. LXII. (III. XII) *Verus thesaurus Ecclesiae est sacro-sanctum Euangelium gloriae et gratiae Dei.* Cum notum sit, Megalandrum circa idem tempus hanc suam de indulgentiis doctrinam et sermone vernaculo ad populum habito et typis publice edito proposuisse, ex eo etiam, quae huc faciunt, attulisse haut erit diuidiae; ita autem

tem

tem verba fluunt: *Zum dreyzehenden, es ist ein grosser Irrthum, daß jemand meyne, er wolle gnug thun für seine Sünde, so doch GOTT dieselbe allezeit ümsonst aus unschätzlicher Gnade verzeihet, nichts dafür begehrend, denn hierfürder wohl leben. Die Christenheit fodert wohl etwas, also mag und soll sie auch dasselbe nachlassen, und nichts schweres oder unträgliches auflegen, apud Loescher. l. c. C. XXII. p. 472. Cum quibus in his restauratae doctrinae primitiis propositis huius causae capitibus velimus comparari, quae anno proxime sequente pro thesibus his tuendis, iisdemque declarandis vberius protulit Vir ille diuinus; vid. *Resolut. Disput. de virtute Indulgent. Concl. VII. et sqq.* quarum apographo quodam gaudemus Lips. 1519. in 4. excuso, quaeque et exhibet *Loescher. l. c. T. II. 183. sqq.* itemque Acta Disput. Augustanae cum Caietano; vbi vel inprimis e *Thesibus* illa LVIII. et e *Resolutionibus* Concluf. VII. Luthero defendenda erat, de quo praeter Acta ipsius Lutheri, quorum protographum habemus, vid. *Loescher. l. c. cap. XI. p. 435. sqq.* Si denique de his iam omnibus rationes pro demonstratione nostra subducimus, non rectius quam ipsius Megalandri verbis ex adducta epistola pronuntiare poterimus: *se contra errorem Pontificium pugnavisse quidem, sed nondum expugnasse.**

§. VIII.

Sunt loca porro alia, eaque fere infinita, in quibus posthac ad tempus vsque A. C. de hac causa tradidit LVTHERVS, quae tamen non omnia, sed ea duntaxat huc repetiisse iuuabit, in quibus ex instituto et in propria velut doctrinae fede de iustificatione locutus b. Vir deprehenditur. Huiusmodi igitur erit *sermo de duplici iustitia*, itemque alius *de triplici iustitia*, quem vtrumque ad a. 1518. referre solent; licet quae nobis sunt vtriusque protographa, alterum Wittebergae, alterum Lipsiae in 4. excusum, annu 1519. praeferant. Sed quomodo iustitiam in his describit? Dupliciter iustitiam distinguit in *alienam* et *propriam*; et ista quidem est, quae in iustificationis causas ipso docente influit, de qua proinde

(C) 2

his



his tradit verbis: *Prima (sc. iustitia) est aliena et ab extra infusa, haec est, qua Christus iustus est, et iustificans per fidem, 1. Cor. I. et porro: Per fidem in Christum, fit iustitia Christi nostra iustitia, et omnia quae sunt ipsius, imo ipsemet noster fit, et post pauca: Haec igitur iustitia aliena, et sine actibus nostris per solam gratiam infusa nobis, trahente intus sc. Patre nos ad Christum, opponitur peccato originali etc. ac denique: Non tota simul infunditur, sed incipit, proficit et perficit tandem in fine per mortem.* In distinctione triplici addit praemittitque iustitiam legalem, externam, et ipsis quoque ethnicis haut dene-gandam; de iustitia vero Christi aliena, quam altero loco ponit, ad eundem fere modum verba facit. vid. ipsi sermones Tom. I. Witteb. Lat. p. 66. sqq. et Tom. I. Ien. lat. p. 168. sqq. Anno itidem 1519. *Theses XVI.* ad disputandum proposuit, in quibus ita de lege et fide: *Thes. III. In lege factorum non deliciatur homo, nisi per legem fidei. Thes. IV. Errat, qui legem fidei a lege factorum aut membrorum non discernit. Thes. XI. Nam quod erat impossibile per legem factorum, possibile factum est lege fidei. Thes. XIII. Siquidem fide iustificamur, consentaneum est Sacramenta non nisi per fidem in Christum efficacia esse. Thes. XV. Nec nisi per mortem nostri et crucem iustificamur.* Tom. I. Ien. lat. p. 371. it. apud *Loescher. l. c. Tom. III. p. 949. sq.* Sed eodem anno 1519. qui prodiit prima vice *Commentarius b. Lutheri in Epist. Pauli ad Galatas*, quique inter scripta ab eo tum temporis edita velut inter aurum gemma emicat, et ipsius nobis de iustificatione sententiam interpretabitur hoc magis, quod ipse D. Apostolus facem illi praetulerit, doctrinamque hanc in sede sua, dataque opera hoc loco pertractauerit. Iam autem ad verba cap. II. v. 16. *Scientes autem, quod non iustificatur ex operibus legis, nisi per fidem I. C.* post enumeratas reliquas in iustificationis negocium influentes causas, ita quoque formam eiusdem efferre b. Lutherus nititur: *Sic fit, ut credentibus in nomine domini donentur omnia peccata, et iustitia ei imputetur, propter nomen tuum, domine, quoniam bonum est; - - Iustificato autem sic corde per fidem,*  
quae

quae est in nomine eius, dat eis Deus potestatem filios Dei fieri, diffuso mox Spiritu Sancto in cordibus eorum, etc. Porro ad verba v. 20. *viuit vere Christus in me*, ita concludit: *Tum viuit iustus non ipse, sed Christus in eo, quia per fidem Christus inhabitat et influit gratiam, per quam fit, ut homo non suo, sed Christi Spiritu regatur.* - - Totum ergo Christo, non nobis dandum est, quod credimus, quod iusti sumus, quod legi mortui sumus, quod concupiscentias mortificamus. Tandem ad v. 21. ut omnia velut in summam contrahat, de definitione iustitiae, stylo scripturae conformi danda praeclare laborat; ita enim scribit: *Ne ergo in theologia iustitiam vocaueris, quod extra fidem Christi fuerit.* - - *Vide ergo nouam iustitiam, nouamque iustitiae definitionem.* *Vsitate enim dicitur, iustitia virtus est, reddens unicuique quod suum est.* *Hic dicitur, iustitia est fides Iesu Christi, seu virtus, qua creditur in I. C.* - - *Iustitia Dei in scripturis fere semper pro fide, et gratia accipitur, rarissime pro seueritate, qua damnat impios, et liberat iustos: ut nunc passim vsus habet.* *Quodsi iustitia fidei dicenda est, reddere unicuique quod suum est ex nobis ipsis, potius intelligitur id facere per cessionem (ut vocant) omnium bonorum, quomodo docuimus Luc. XIV. in parabola aedificantis turrim. etc.* Hucusque Lutherus de iustificatione in Comment. suo priori ad Galatas, vbi verba ex autographo primum impresso, rarius alioquin obuio, de quo vid. SECKENDORFF. Lib. I. §. LXXXV. p. 137. sq. adduximus, quoniam, qui in Opp. Tom. lat. Ien. I. et Witteb. V. habentur ectypi, recogniti et auctiores dicuntur; nostra autem intererat, ut b. Viri sententiam non quam posthac, sed hoc iplo duntaxat tempore fouit, hoc loco cognosceremus. His si vellemus addere, quae Vir ille diuinus circa idem tempus *de fide infusa et acquisita* contra Eccium disputauit, XX. Conclusionibus, Tom. I. Ien. lat. p. 523. et in *Resolut. harum Conclus.* exhibita ad a. 1520. in Zeidleri Tom. Hal. p. 141. sqq. Si luculentissimam eius in *Epistol. ad Rom. praefationem*, succi et sapientiae vere spiritualis plenam, quam 1523. primum vulgauit, vellemus excutere, et in his sane ac aliis

(C) 3

forte



forte nonnullis locis ex instituto b. Virum hanc doctrinam profitentem deprehendere liceret; sed vero in his omnibus, eandem geminamque iis, quae adduximus, ipsius sententiam cognoscere dabitur; ipsamque hanc porro mentem eundem tenuisse, et non multo ante tempus exhibitae A. C. in *Catechesi* vtraque, *maiore* et *minore* a. 1529. denuo protulisse, tum Articuli III. Symb. Apost. tum Orat. Dom. Petit. V. expositio testimonium perhibet, vbi vtrunque iustificationis opus per *remissionem peccatorum* recte omnino et concinna breuitate describitur, ita tamen, vt quae formalis iustificandi ratio in actu iudiciali ponenda, verbisque ad exprimendum hunc modum aptioribus efferenda fuisset, pro ratione docendi accuratori desiderari omnino queat: quod tamen et ipsum paulo post accessisse e rebus circa Aug. Conf. gestis afferre licuerit.

§. IX.

Restat, vt Philippum MELANCHTONEM etiam, iustificationis doctrinam eodem interuallo temporis docentem, in locis praecipuis quibusdam producamus, quod illi secundae post Lutherum partes in caepto reformationis negotio iure relinquuntur, et omnino, quod ad hoc doctrinae caput curatius edislerendum, genuinaeque ac Apostolicae integritati asserendum attinet, vel primas etiam eidem deberi, ex vltima tractationis nostrae parte patebit. Sententiam autem et docendi eius in hoc capite methodum non licet capere rectius, quam e *Locis Communibus*, qui et hypotyposeon theologicarum titulo in editionibus prioribus insigniti fuerunt. Multam illos mutationem pro Viri ingenio esse passos notum est, adeoque editionibus eorundem ante A. C. excusis nobis h. l. vtendum est. Adest igitur ille eotypus, quem e protographo anni 1521 Cl. Herm. ab *Hardt* in *Hist. literar. Reformat.* P. IV. p. 30. seq. nobis restituit, aliaque etiam ad manus editio in 8. est, iuxta exemplum 1522. seorsim recusa. Vtrunque caput *de iustificatione et fide* iunctum exposuit, deque iustificandi forma quae tradit, ita habent: *Iustificamur igitur cum mortificati per legem resuscitamur verbo gratiae, quae*  
in

*in Christo promissa est, seu Euangelio condonante peccata, et illi fide adhaeremus, nihil dubitantes, quin Christi iustitia sit nostra iustitia, quin Christi satisfactio sit expiatio nostri, quin Christi resurrectio nostra sit. Breuiter, nihil dubitantes, quin peccata nobis condonata sint, et iam faueat ac bene velit DEUS. Nihil igitur operum nostrorum, quantumuis bona aut videantur aut sint, iustitia sunt. Sed sola FIDES de misericordia et gratia DEI in IESU CHRISTO IUSTITIA est.* ap. Hardtium p. 55. a. in exemplo altero p. 58. b. sq. Multum sane in eo laborare bonum Melanchthonem cernimus, vt iuxta cum causis reliquis formalem quoque reddat iustificationis rationem et modum; neque etiam, quicquid huius est, per τὸ condonare peccata et fauere ac bene velle DEI vel incongrue vel recte minus h. l. describit. Attamen, vt in editionibus LL. CC. post editam Aug. Conf. recognitis, de quibus etiam in sequentibus videbimus, acceptione non modo verborum forensium sed et actus iudicialis applicatione hanc suam sententiam extulit, in eo non tantum multo rotundius, sed et accuratius, quin Scripturae literis conformius ipsum hanc causam confecisse, neminem puto non intellecturum esse. Philippi porro nostri de iustificationis forma docendi methodus nobis confirmanda esset e *commentariis in Epist. ad Romanos*, quos in scio quidem illo atque invito Lutherus primum 1522. publici iuris fecit; sed quoniam nobis hoc scribentibus nullius protographi ante exhibitam A. C. excusi copia est, et quae in Tomo III. Opp. Melanchthonis horum commentariorum habetur editio, iuxta recognitionem et immutationem a. 1540. ab auctore susceptam adornata est, ex ea quidem, quae ad modum LL. CC. itidem iuxta A. C. stylum conformata est, nihil certi pro causae nostrae capitis demonstratione afferre licuerit. Vtimur tamen typo *Dispositionis Orationis in Epist. ad Rom.* quam Philippus Hermanno, Comiti Nouae aquilae, s. Nuenario inscripsit, eoque hoc temporis interuallo, anno nempe 1529. et satis etiam eleganter Hagenoae in 8. excuso: ex hoc igitur genuinam Melanchthonis de iustificatione in *Epist. ad Rom.* proposi-



ta explicationem nos haurire posse confidimus, vbi namque eandem his effert verbis: *Haec principalis est totius causae propositio, haec definitio est Christianae iustitiae, quod iustitia sit credere, quod propter Christum in gratiam Patris recipiamur, quod Christus sit redemptor et propitiatorium, quodque propter eum gratis sine nostris meritis iustificemur.* pl. B. 4. a. Atque sic eodem fere modo et ratione sibimet suffragantem Melanchthonem tandem producimus in *Comment. in Epist. S. Pauli ad Coloss.* cuius libelli typo gaudemus eodem a. 1529. Hagenoae in 8. vulgato. Ibi autem in scholio ad verba Cap. I. v. 13. qui eripuit nos de potestate ita commentatur noster. *Euangelium ostendit aliam quandam iustitiam, qua coram DEO iustificamur, quam iustitiam operam. Docet enim iustitiam fidei, scilicet credere, quod propter Christum peccata nobis remittuntur.* Ac ibidem denique ad cap. II. v. 11. sqq. ita sane in rem nostram ἐμφοτικῶς pronunciat: *Hic locus ordinem ac formam iustificationis nostrae tradit, describit enim mortificationem, seu poenitentiam, et viuificationem ac remissionem peccatorum. Iustitia proprie ac vere fides est, qua credimus, nos recipi in gratiam a patre propter Christum.* Hucusque Melanchthon; quem suo id exemplo nobis comprobasse existimamus, quod, 1 Cor. XIII. 9. scribit Apostolus: ἐκ μέρους γινώσκομεν: maiorem namque adhuc ad afferendam genuinam iustificationis formam, eamque a reliquo qui hic vel ex parte Dei, vel ex parte hominum se exserunt, causarum rationumque apparatu discernendam, vel ab eo ipsomet accuratorem esse allatam, postremum illud, quod nunc subiecturum nostrae demonstrationis caput, omnium oculis clarum planumque faciet.

## §. X.

Illum igitur παιδείας τρόπον exquisitiorem, quo forma iustificationis per actum forenses s. iudicialem plenius curatiusque describitur, vt commonstremus, quomodo circa exhibitae A. C. aetvum, praelucente S. scripturae suffragio et vsu vocis genuino, rite deum asseri, pleneque restitui coeperit, penitiori quadam in praecipuas

cipuas



cipuas tum editas doctrinae tabulas inuestigatione critica, nobis efficiendum erit. Huc igitur faciet tum ipsa A. C. formula non variata, tum etiam quae ad eam condendam allata sunt praesidia. De his videbimus primum, quoniam tempore illi priora extiterunt. Proximam nouissimamque formulam, siue vt alii loquuntur, ἀρχέ-  
 τυπον ad Aug. Conf. conficiendam, ipse LVTHERVS suffecit in notissimis XVII. Articulis, quos siue *Torgenses*, siue *Suobacenses* dixeris, perinde fuerit: In his Articulus V. de iustificatione tradit, verbaque huc facientia idiomate vernaculo infinitis locis a scriptoribus prolata sunt, latino sermone, quo exhibentur a Georg. Coelestino in Hist. Com. Aug. Tom. I. p. 25. sqq. ita habent: *Vnicum vero medium est consequenda iustitiae ac liberationis a peccato et morte, sine omni merito et opere nostro, credere in filium Dei pro nobis passum etc. Haec fides est nostra iustitia. Nam DEUS iustos, innocentes et sanctos reputat atque censet, et remissione peccatorum ac vita aeterna donat omnes illos, qui hanc fidem in filium ipsius habent, quod propter Filium in gratiam recipiantur, ac filii Dei fiant.* etc. Marpurgi COLLOQVIVM non multo ante conceptos hos articulos, a. 1529. m. Oct. ineunte, Nostros inter et Sacramentarios fuit habitum, inque eo de formula certorum quorundam articulorum consenserunt, quos primum a nostris consignatos esse haut diffitentur partis aduersae scriptores, ipsi autem Luthero tribuere non dubitat Ven. Loescher. in Hist. mot. plen. P. I. Lib. I. Cap. VI. §. IX. p. m. 151. Quoniam autem fere gemina sunt prioribus, quae in his Artic. VII. de iustitia fidei docentur, nec dubium, quin eadem Aug. Conf. scribenti in oculis et animo fuerint, iuuat et huius hic verba apponere: *quod haec fides (de qua Artic. VI.) sit nostra iustitia coram Deo, propter quam nos DEUS iustos, probos et sanctos reputat, sine ullis operibus et meritis, et per hanc fidem nos a peccato, morte, inferno liberet, in gratiam recipiat, et saluet propter Filium suum, in quem credimus, et hac fide omnium beneficiorum, iustitiae et vitae Christi participes reddamur.* apud Rod. Hospinian. in Hist. Sacrament. P. II. p. 77. b. et alibi passim.

(D)

His,



His, quibus A. C. velut praelusum est, plura, quae forte afferri exactis huius temporis minus publicis possent, non addimus, sed ipsum ARTIC. IV. AVG. CONF. qui de Iustificationis doctrina ex instituto praecipit, subiicimus, quem stylo latino breuissime extulit Melanchthon hoc modo: *Item docent, quod homines non possint iustificari coram Deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi, et peccata remitti propter Christum, qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat Deus pro iustitia coram ipso. Rom. III. et IV.* Si comparemus cum his, quae exposito h. l. principio in Artic. sequentibus V. VI. XII. XX. et imprimis in plerisque Artic. abusu contra aduersarios disputantur, intelligimus sane, fundamenta in his iam esse iacta haut infirma, vt formae iustificationis plenior declaratio, per actum iudicalem efferenda, pro accuratiori doctrinae methodo inueheretur. Nam licet modus forenses peragendi actus haut quidem diserte insinuetur, vocum tamen phrasiumque forensium non prorsus omnino vsus exulat. Hunc enim Lutherus tum in Articulis Suobaco-Torgensibus, tum etiam Marpurgensibus per vocabula, iustum reputandi censendique, haut obscure indicat: nec Melanchthon in formula A. C. etiam a se nondum variata prorsus ab eodem alienus est; seruata namque, quam hucusque in LL. CC. dederat, huius causae hypotypōsei, ipsam quoque acceptionem forensis suffragio scripturario subiicere haut intermisit, hocque modo sibi viam muniens, qua ad actum forensis explicatius designandum inferendumque ubique tutius procedere posset.

### §. XI.

Sic etenim MELANCHTHONI ea laus non erit inuidenda, quod ipse mox post exhibitam A. C. exquisitiorem de forma iustificationis doctrinae methodum vel imprimis perfecit et constabiliuerit. Est quidem, vbi Melanchthonem durantibus ipsis Aug. comitiis non omnino a lenitate nimia, animoque in Pontificiorum causam indul-

dulgentiori liberum fuisse nonnulli putant: at vero, quod doctrinae de iustificatione aliquid decedere passus sit, haut sane ex actis liquet, quae post *Chytraeum*, *Coelestinum*, *Seckendorffiumque* integra fere exhibuit Io. Ioach. *Müllerus* in Hist. Protest. et A. C. vid. inpr. p. 749. 794. 798. Atque mox post absoluta comitia prodiit APOLOGIA A. C. cuius iam primas lineas in ipsis comitiis duxerat, post autem accepto aliquo refutationis Pontificiae exemplo plenius elaborarat perpoliueratque Melanchthon, in qua, quod ad nostrae causae caput de forma iustificationis attinet, actum forensem, obscurius fere hucusque elatum non modo toties quoties vocabulis a foro desumptis exprimit, repetitque, v. c. edit. Rechenb. p. 68. *Paulus toties dicit, homines iustificari, quia qui reputantur iusti coram DEO etc.* p. 73. *iustificari significat iustos pronunciarum seu reputari.* p. 77. de dicto Pauli Rom. IV. 5. *Hic clare dicit, fidem ipsam imputari ad iustitiam. Fides igitur est illa res, quam DEus pronunciat esse iustitiam, et addit gratis imputari. Et negat posse gratis imputari, si propter opera deberetur. - - Nam si his (sc. operibus) deberetur iustificatio coram Deo, non imputaretur fides ad iustitiam sine operibus.* Sed et iudicii modum hic attendendum disertis primum h. l. infert verbis: p. 109. *Iustificari significat hic non ex impio iustum effici, sed usu forensi, iustum pronunciarum.* it. p. 125. de loco Rom. V. v. 1. *Iustificare h. l. forensi consuetudine significat reum absoluerum, et pronunciarum iustum; sed propter alienam iustitiam, videlicet Christi, quae aliena iustitia communicatur nobis per fidem. Itaque cum h. l. iustitia nostra sit imputatio alienae iustitiae, aliter hic de iustitia loquendum, quam cum in philosophia, aut in foro quaerimus iustitiam proprii operis. etc.* Vbi quid quaeso, ad actum iudiciale designandum clarius, quid ad totum iustificandi negocium declarandum dici poterat luculentius? De ipsa porro AVG. CONF. in Hist. Critic. nostra Sect. I. Cap. II. id notauimus, curasse Melanchthonem editiones tum Germanicas tum Latinas, quae anno etiam 1531. vna cum Apologia lucem viderunt. Inque iis Germanicis, quod nobis deprehensum est, variationes iam haut leues, citra purioris tamen



doctrinae detrimentum admissae reperiuntur, quas quidem Melancthonem, ad declarandum non minus paulo uberius genuinum iustificationis modum, nunc sibi clarius perspectum, attulisse haut ex vano coniecturam fecimus, hic vero etiam, quod totius huius tractationis suscipiendae ansa fuit, rem totam paulo altius repetere non dubitamus. Sic namque, quando Artic. IV. A. C. ubi iustificationis doctrinae sedes est, editiones prorsus inuariatae formam iustificationis non omnino quidem omiserunt, sed breuibus tamen et scripturae duntaxat verbis, vt ex §. praeced. liquet, subinnuunt: hic contra in editionibus dicto modo variatis Melancthon omnem mouet lapidem, vt iustificandi modum reddat explicatiorem, et forensibus eum verbis efferat: quatuor namque vicibus in retexta articuli IV. formula, non adeo quidem proluxa, imputationem iudicalem insinuat per phrasin germanicam: *gerecht schätzen*, quam prior formula prorsus non habet. Est porro in pluribus articulis v. c. VI. XV. XXIV. XXVI. nonnihil variatis, itemque XXVII. et XXVIII. qui integri mutationem passi sunt, vbi saepius occurrit repetiturque in formula inuariata locutio e doctrina iustificationis desumpta: *Gnade durch den Glauben in Christo erlangen*, quod hic rotundius dicitur: *Vergebung der Sünden bekommen*; imo quando in textu inuariato de gratia nobis per Christum impetrata: *Gnade erlangen um Christus willen*, sermo incidit, distinctior eius ratio subinde in variatis exemplis effertur hoc modo: *vor Gott gerecht geschätzt werden um Christus willen durch Glauben*. conf. quae in cit. Hist. Critic. A. C. Sect. I. cap. II. §. IV. pluribus in hanc rem disputamus, et si vis *αυτοψιν* huiusmodi locorum ad se relatorum, adde Ven. *Mühlis* nostri editionem A. C. vernaculam, quae selectiori variant. Lect. apparatus instructa hoc anno nostris Kil. typis prodiit in 8. vbi huius rei vestigia facili negotio passim deprehendes. *Apologiae* porro A. C. primam versionem vernaculam, qua authentica hodieum utimur, e Melancthonis archetypo latino adornasse Iustum Ionam, neminem in his rebus vel leuiter versatum fugere potest atque debet.

bet.

bet. Sed et huius Apologiae aliam quandam versionem habemus, ipsius Melanchthonis opera postmodum concinnatam, quamque etiam legere licet in Corp. Doctr. Philip. germanice Lips. 1560. in fol. edito. In hac autem versione Melanchthoniana, si ad causae nostrae caput attendamus, de modo iustificationis forensi stylo vernaculo arctius pressiusque tenendo reddendoque, sollicitiorem omnino ac iustum Ionam, Philippum quoque nostrum offendimus. Sic etenim quando Ionas titulum huius articuli vertit: *wie man für Gott fromm und gerecht wird*, Philippus ita: *wie wir für Gott gerecht geschätzt und Gott gefällig werden*; quem porro loquendi modum ubique fere seruat, vbi apud Ionam phrasis: *fromm und gerecht machen*, occurrit: vt idem iam ante nos pluribus prolatis exemplis probe obseruatum, laudatumque est a b. Io. Georg. Neumanno in Disp. de Different. actuum Diu. Regenerat. Iustif. et Renouat. Witteb. 1700. habit. et postea etiam recusa. Hucusque Melanchthonem in publicis fidei Evangelicae confessionibus de forma iustificationis loquentem adduximus. Sed et supra ad §. IX. in LL. CC. docentem eum de hac causa audiuius, idque simul recepimus, nos esse comprobaturus, quomodo post editas hasce nostrae doctrinae testeras in ipsis quoque LL. CC. stylum ita attemperarit suum, vt formulis, in publicas istas modo tabulas receptis, par similisque euaderet: quod quidem nunc ipsum praestitisse, sequentem in modum efficimus. Editiones LL. CC. nobis ad manus sunt, altera Witteb. 1535. in 8. apud Ioseph. Clug. excusa, eaque Regi Angl. Henr. VIII. proluxa dedicatione inscripta, prima, quod scimus, omnium est, quae a Melanchthone recognita, post A. C. editam, lucem vidit; altera ibid. Witteb. 1538. ead. forma ap. Pet. Seitz recusa, priorisque illius per omnia similis estypus: Vtrobique autem in loco de Gratia et Iustificatione ita fatur in rem nostram: *Iustificatio significat remissionem peccatorum et reconciliationem seu acceptationem personae ad vitam aeternam. Nam Ebraeis iustificare*



est forense verbum; ut si dicam, *populus Romanus iustificauit Scipionem, accusatum a Tribunis, id est, absoluit, seu iustum pronuntiauit. Sumfit igitur Paulus verbum iustificandi ex consuetudine Ebraici sermonis pro acceptatione, id est, pro reconciliatione et remissione peccatorum*: Nec sane ab hac docendi forma post recessit Philippus, sed ipsae etiam editiones LL. CC. quae ab a. 1543. multum denuo a prioribus mutatae, ac altera fere parte auctiores locupletioresque pro viri ingenio lucem viderunt, ac denique Corp. Doctr. insertae sunt, eadem constanter in hoc capite verba retinent, idque tantum in fine habent additum: *Hanc effem vim phrasie Hebraicae, eruditi omnes norunt, et exempla passim obuia sunt*: quo sententiam in prioribus prolatam modo confirmat.

§. XII.

Cum e scriptis Melanchthonis praecipuis, iisque ex parte publica auctoritate munitis, documenta hucusque protulerimus, quae satis id firmant corroborantque, quod ille omnium primus acceptationem modumque forensam, in iustificationis negotio attendendum, firmiter tenuerit, iueritque stabilitum: non opus esse pro instituto quidem nostro existimamus, ut e commentationibus eius reliquis idem porro comprobemus. Id potius nos habebit sollicitos, ut, quem ipsa haec curatior docendi methodus mox vniuersalem nostratum assensum plausumque retulerit, ex indiciis haut ambiguis afferamus. Vbi primum quidem non adeo vrgebimus, quod illud variandi A. C. authenticae institutum, a Melanchthone vel imprimis ad doctrinam etiam iustificationis plenius explicandam allatum, nec olim nec etiamnum approbatoribus suis destitutum fuerit, ut pluribus de eo in nostra Hist. Critic. l. c. dicitur: quoniam vero assensus iste praebitus vel temporarius saltem, vel minus etiam vniuersalis foret habendus, in nostrum hic non amplius census venire poterit. Nec de calculo etiam, quem vnus solusque Lutherus, in scriptis suis postmodum vulgatis, huic docendi rationi adie-

adie-



adiecerit, hic adferendo multum laborabimus; suntque huius vestigia tum in Commentat. vberiori in Epist. ad Gal. itemque Genesis, alibique passim obuia: vnicum saltem speciminis loco ex collatione amica, ipsum inter et Melanchthonem de arduo iustificationis negotio circa annum 1536. instituta, quamque nos seruarunt *Colloquia mensalia* in Append. quae editionibus post a. 1571. ab Andr. Stangwaldo curatis, adiaci consuevit, Cap. XII. p. m. 934. edit. rec. Lipsi. 1700. adducimus. Ibi namque Melanchthon velut opponentis vices sustinens a Luthero tale fert responsum: *Sic sentio, et persuasissimus sum ac certus, hanc esse veram sententiam Evangelii et Apostolorum, quod sola imputatione gratuita sumus iusti apud DEUM etc.* Vbi ὡς ἐν παρόδῳ obseruamus, falli in eo Auctores *der fortgesetzten Sammlung von A. und N.* quando ad a. 1728. p. 691. vbi fragmentum huius disputationis Luthero-Melanchthonianae sub tit: *Summae vniuersae doctrinae de Articulo iustificationis*, exhibuerunt, sibi persuasum habent, non extare hucusque in collectis vel Lutheri vel Melanchthonis Opp. Tomis seruatas nobis amicae huius velitationis tabulas, quas tamen laudata *Colloquia mensalia* l. c. itemque Phil. Melanchthonis *Consilia* a Petzelio edit. Neostad. 1600. in 8. p. 239. sqq. integras et longe pleniores exhibent. Sed missis his, nunc vniuersalem Ecclesiae nostrae totius Euangelicae assensum in illum Melanchthonis doctrinae modum subiicimus. Hunc sane tum illa in symboli locum publica vbique auctoritate euecta *Apologiae A. C.* dignitas, tum etiam vox illa communis Doctorum loquitur, per quam in *Artic. Smalcald. P. III. Artic. XIII.* ita Lutherus: *Quod de iustificatione haecenus semper et assidue docui, mutare nec in minimo possum, videlicet, nos per fidem (ut Petrus loquitur) aliud nouum et mundum cor acquirere; et DEUM propter Christum mediatorem nostrum, nos iustos et sanctos reputare. Et etsi peccatum in carne nondum plane ablatum et mortuum est, tamen DEUS illud nobis non vult imputare, nec meminisse.* Ipsamque hanc doctrinam por-

ro probat si non omnis, maioris tamen partis Ecclesiae nostratis publicus consensus, qui in *Form. Concord.* tot Principum ac Statuum et ultra 8000 Theologorum subscriptione expressus est, vbi his vtuntur verbis in Epitom. p. 585. *Credimus, docemus et confitemur, vocabulum iustificare phrasi Scripturae sacrae in hoc articulo idem significare, quod absolueri a peccatis; quod ipsum deinde in Solid. Declar. p. 605. paulo plenius in thesi repetunt: vtroque autem in antithesi subiecta sententiam huic suae doctrinae aduersam ita grauiter proscribunt: Reiicimus atque vnanimi consensu damnamus - - III. quod in Prophetarum et Apostolorum dictis, (vbi de iustitia fidei agitur) vocabula iustificare et iustificari, non significant a peccatis absolueri et remissionem peccatorum consequi, sed propter infusam (per Spiritum Sanctum) charitatem, virtutes et opera, quae inde promanant, re ipsa et reuera iustos effici. p. 697. coll. p. 586. Quae hucusque adduximus, ac in cit. LL. Symb. locis pro declaranda firmandaque hac exquisitori iustificationis doctrinae methodo afferuntur, non modo vniuersalem illum, quem exhibere recepimus, Ecclesiae nostratis calculum satis superque comprobant, sed et normae simul instar et loco esse debent, secundum quam in hac doctrinae parte nobis, praeeunte Scripturae suffragio, credendum atque docendum est. Fecerunt id et etiamnum faciunt Doctores quocumque cordati, qui diuinae huius regulae finibus placita sua metiuntur, quorum vestigiis et nos rite insistimus: ac licet, vt quondam Andr. OSIANDER vana persuasione sua a regia hac via aberauit, vel hodiernum, nouissimaque aetate nostra non desint personati DEMOCRITI, MELODII, BERRHOENSESque, qui sannis atque risu, blandifono cantu, confictoque gemitu, restitutam hanc nobis a piis nostris confessoribus genuinam iustificationis formam, iuxta cum aliis peruertere non dubitant, neuiquam tamen a sanctissima hac veritatis norma nos abduci patimur, sed diuina adiuuante gratia eandem firmiter constanterque tenebimus.*